

S. b. 264

Bücher · Jhd.

J. VI, 887

~~*III. 145 J. IV. 10*~~

G *H*

DISSERTATIO MORALIS
GRADVS
BONORVM OPERVM
ET VIRTVTIS

GENERATIM SISTENS

QVAM

SVB PRAESIDIO

VIRI SVMME VENERANDI AMPLISSIMI DOCTISSIMI

SIGISM. IACOBI BAUMGARTEN

S. S. THEOL. DOCT. ET PROF. P. O. LONGE
CELEBERRIMI

PATRONI FAVORIS AC PRAECEPTORIS AETERNVM COLENDI

D. OCTOB. A. C. CIO IOCCXXXIX.

HORA LOCOQUE CONSVENTO

FVBICE DEFENDET
AVCTOR RESPONSVRVS

SAMVEL DAVID GRVZMACHER

GLASOVIA POMERANVS.

HALAE MAGDEBVRGICAE

LITTERIS IOAN. CHRIST. GRVNERTI, ACAD. TYPOGR.

GRADIAN
BONORVM CTHURVM
ET VIRTUTIS

SIGISM. LACORD. HUMBERTIN.
SIGISM. LACORD. HUMBERTIN.
SIGISM. LACORD. HUMBERTIN.

SAMUEL BURD. GYASMA. HER.

VIRO

ADMODVM VENERANDO DOCTISSIMO
ET MERITISSIMO

**SAMVELI VLRCO
GRVZMACHERO**

ECCLESiarVM IN GLASOW ET HOHENHOLZ

PASTORI VIGILANTISSIMO

PATRI SVO

AD CINERES VSQVE PIE COLEND0

HAS QVALESCVNQVE

LABORVM PRIMITIAS

OFFERT

FILIVS OBSEQVIOSISSIMVS.

PATER DILECTISSIME!

Beneficia nos obligare ad gratiarum actiones, non opus est rigorosa demonstratione, cum nullus ea de re dubitet. Has vero maximas esse, si publicae sint, meo quidem iudicio, quod sentio quam sit exiguum, omnino censeo. Hinc apud me constitueram, hoc publico specimine, gratum meum animum, erga unum alterumque benefactorem, publice testari. Sed alia voluerunt circumstaniae, ut TIBI forsan notum erit, quippe quea non permisérunt finem constitutum consequendi. Ad TE itaque me conseruo, PATER OPTIME! TE ut maximum, inter homines, benefactorem expertus sum, sentio, memini, TIBI ergo offero hoc specimen (ut vocant) academicum, in testificationem grati erga TE (alii tamen benefactoribus non exceptis) animi, quem maximum esse, sineulla simulatione, profiteri possum. TIBI enim tam ipsam vitam, eiusque conseruationem, quam studiorum meorum prima fundamenta debeo. Sed quid est, quod tibi offero, nisi fructus immaturus, agri inculti? hinc benevolentiam tuam implorare necesse est, ne me, id accipere, dedigneris. Quod vero reliquum est, DEVS O. M. diu adhuc TE conseruet incoludem, in ecclesiae suae emolumentum, et mei solatum. Ita vobis

PATER DILECTISSIME

Halea pridie Kal. Octobr.
clo 1000
cccxxxix.

Filius tuus obedientissimus
S. D. GRÜZMACHER.



Q. D. B. V.



ibil vnam legi, nihil audiri, nihil
disci, nihil denique scribi, nisi praeco
quasi simul in medio quirieret; cui sit
vnu? bencuolus lector nulus dubitabit.
Vsus enim fere solus, si quid iudico,
sufficientem suppeditare potest rationem,
quare aut legendum aliquid aut scriben-
dum cet. aggrediamur. Hinc haud im-
merito supponere mihi videor, de hoc
meo conatu, ratione quam maxime consentaneam hanc motum iri
quaestionem. Cum itaque mihi incumbat; bencuolo lectori, in
omnibus, ad paulo post proponenda pertinentibus, quantum per
exiguam virium mearum tenuitatem licebit, facere satis: obstrictum
me existimo, vt, antequam ipsam exordiar tractationem, huic
quaestioni responsionem sufficiam. Hoc vt breviori asequar via,
vincum, ex pfaestantioribus vero, vnum (quia ceteros ex appli-
catione, in fine, brevibus licet, adiicienda, satis fore declaratos
haud temere confido,) indicabo. Consistit vero hic, quem iam
sum expositus, in iusta diiudicatione, quaenam officia, in casu
collisionis, aliis sint pfaferenda, que vero minus? et ipsa haec

A

facie

faciliori negotio instrui poterit, postquam diuersos bonitatis in actionibus gradus perstrauerimus. Maior equidem propositio ipsa natura pariter ac sara ratione suppeditatur, hanc omnium, quorum in toto, qua late patet, amplissimo vniuerso degunt, peccatoribus hominum imprimente legem : *elige optimum*; verum enim vero in minore rectius sublimenda, aqua plerumque haeret, cum hic pro optimo habeat, quod alteri minus bonum esse videatur. In aprico itaque positum est, quantum hic valeat curatior graduum bonitatis in actionibus dimensione. Certiores enim facit conscientiam antecedentem, in subeunda actione, et quierant reddit consequentem, quin immo hoc ipso perfectionem hominis promouet, et summopere auget, ut taceam reliqua. Quae omnia, cum insignem affirme utilitatem constet : ipsam hanc, bonorum operum atque virtutum, cognitionem mathematicam vtilem esse, nemo facile, nisi ipsorum bonorum operum iurisperitus, negabit. Hinc operae pretium duxi, ut potiores vias, ad hanc cognitionem perueniendi, commonstrem.

§. II.

Ut vero haec ordine fiant, necesse erit, certos fines huius tractationis constituerre, quos ultra citraque progredi, quantum fieri poterit, curiose cauebimus. Placet ergo illam eligere methodum, qua a principiis descenditur ad principia, quaque syntheticae nomine venit, (quod filium minus ornatum forsitan excalabit.) Hinc in eo erimus, ut primo stabilamus principia, proprius hoc pertinentia, reliqua vero, quae remotius tantum huc faciunt, et commodius in aliis veritatum seriebus tractantur, ex illis iure meritoque supponentes, hec omittamus, quo fundamento posito superstruerus ipsam bonorum operum dimensionem, deinde eandem in virtute, ut certo bonorum operum consecratio, ostendemus, et tandem applicationem huius tractationis, vberius indicando eius usum, instituemus.

§. III.

§. III.

Quod ad principia attinet, quibus in demonstratione grandium bonorum operum et virtutis visuri sumus, ante omnia eo referimus effata Sacrae Scripturae, tam mediata, quam immediata, quippe quorum diuina autoritas et veritas satis inter nos constat; nec tamen negligemus proflus sanam rationem, sed potius eam cum propriori revelatione coniungemus, ut et in hoc casu appareat, nullam esse inter revelationem et rationem contradictionem, sed potius admirabile illud rationis et fidei connubium elucescere. Cum vero sacrae scripturae testimonia aliunde nota sint, et nec spatum permittrat, nec methodus requirat, illa verbottenus praemittendi: Suo loco semper indicabimus, heic allaboraturi, ut principia rationis propiora iusta serie colloquemus.

§. IV.

Propositio enuncians, quomodo dirigendas sint mutationes liberae est *lex moralis*. Quae dividitur in *naturalem*, ex natura et per naturam cognoscibilem, et *arbitrariam* seu *positivam*, ex arbitrio superioris cuiusdam proprius cognoscibilem. Qui superior si homo est, vocatur *civilis*; si Deus, *reuelata*. Has omnes connectere motiva cum actionibus liberis i. e. obligare, alibi euincit.

Legem moralem in sequentibus simpliciter legem vocabimus.

§. V.

Legitimum in genere est, quod fit legi conformiter. Hinc *actio moraliter legitima*, est *actio libera*, que fit legi morali conformiter, eaque vel *naturaliter legitima*, vel *civiliter*, vel *theologice* i. e. legibus reuelatis conformis. (§. 4.) Cum vero omnis lex naturalis a Deo dependeat, nec leges naturales contradicant reuelatis: apparent, omne theologice legitimum esse etiam naturaliter legitimum.

Noteatur actionem hic late sumi, ut etiam actionis omissione simul sub-intelligatur.

A. 2.

§. VI.

§. VI.

Consensus variorum ad unum est perfectio, et unum, ad quod varia consentiantur, est ratio determinans perfectionis. Iam lex moralis est ratio determinans actionum liberarum, (§. 4.) et actiones moraliter legitimae consentiantur cum lege morali. (§. 5.) Hic consensus, si dicatur perfectio moralis, in omni actione moraliter legitima est perfectio moralis, et omnis actio moraliter perfecta est moraliter legitima. (§. 5.)

§. VII.

Quo posito ponitur perfectio bonum est, hinc quo posito ponitur perfectio moralis, moraliter bonum est. Ergo omnis actio moraliter legitima est moraliter bona. (§. 6.) Actio singularis cum effectu suo est eventus, et eventus a libertate dependens est factum, quod si moraliter bonum est, dicuntur bonum opus. Omne bonum opus est actio moraliter legitima. (§. 6.)

i. Ita tota nostra tractatione vnicet loquemur de bonis operibus hominum.

Si in posterum verba faciemus de legitimo simpliciter, intelligemus semper moraliter legitimum.

§. VIII.

Varia itaque in omni bono opere consideranda sunt. Cum enim sint actiones legitimae: (§. 7.) aut erunt naturaliter legitimae, (§. 5.) et vocantur bona opera philosophice talia; Rom. II. 14; aut civiliter legitimae: et sunt bona opera civiliter talia; aut denique etiam theologicae legitimae, quae bona opera theologicae sunt. dicuntur. Porro quia sunt facta, considerari debet, distinste explicatur, causa illorum libera, quae agit, aut viribus propriis naturalibus, et bona opera vocantur naturalia; aut viribus gratiae supernaturalibus, et dicuntur bona opera supernaturalia.

Quia bona opera theologicae talia sola salutaria sunt, nonnunquam simpliciter bona opera vocantur, et reliquis non nisi bonitas obiectiva tribuitur.

§. IX.

ET VIRTUTIS.

5

§. IX.

Omnis lex obligat (§. 4.) ad actiones sibi conformandas i. e. officia, vel erga Deum, vel erga nos ipsos, vel erga alios. Unde noua oritur honorum operum diuisio, in bona opera erga Deum, erga nos, et alios. Differunt vero officia a bonis operibus, vt minus determinatum a magis determinato. e. g. Est officium omnium hominum, vt Deum ament super omnia, sed non est bonum opus omnium, quia a perpaucis hoc officium adimpletur.

§. X.

Facile est, ad quod praefundum pauciores vires requirentur, et facile s' agendi dicitur *habitus*. Qui, si ex natura agentis cognosci potest, dicitur *naturalis*, vel *connatus*, ab exercitio non dependens, vel *acquisitus*, ab exercitio pendens; si vero ex natura agentis cognosci nequit, vocatur *supernaturalis*. Singuli sunt vel *theoretici*, ad aliquid cognoscendum; vel *practici*, ad aliquid appetendum. *Habitus* honorum operum est *virtus*, quae eisdem admittit diuisiones, quas de bonis operibus adduximus. (§. 8. 9.)

§. XI.

Quantitas est praedicatum, quod quidem representari potest, sed distincte concipi nequit, sine assumto tertio, quod *mensura* dicitur; *Qualitas* vero est praedicatum sine assumto tertio distincte cognoscibile, cuius *quantitas gradus* vocatur. Quia quantitatem, hinc etiam qua gradus eadem, sunt *aequalia*; non eadem, *inaequalia*.

§. XII.

Cuius pars alteri toti aequalis est, *maius*; quod totum parvi alterius aequalis est, *minus* dicitur. Hnc omnis *quantitas*, ergo et *gradus*, pro diversitate assumptae *mensurae* potest esse vel *major* vel *minor*, (§. 11.) seu *omnis quantitas est relativa*. Et quicquid admittit *maius* et *minus*, aut *tertia aequalitatem*, hinc identitatem *quantitatis* cum alio, (§. 11.) ergo *quantitatem*, et, si *qualitas* est, grauum.

A 3

§. XIII.



§. XIII.

Lex maior est, quae maiorem secum fert obligationem, hinc quæ plura aut maiora moria cum pluribus aut maioribus actionibus liberis connectit. (§. 4.) Magis legitimum itaque est, quod pluribus maioribusque legibus, iisque magis conforme est, (§. 5.) ut adeo maxime legitimum sit, quod maximis plurimisque legibus et quidem maxime conformatur. (§. 21.)

§. XIV.

Ratio determinans perfectionis si unica est, perfectio dicitur simplex; si multiplex, perfectio est composita. Perfectio maior est, quo plura et maiora, ad quo plura et maiora, quo magis consentiunt. (§. 12. 6.) Hinc perfectio composita maior est simplici. Ex his eriam patet, quenam perfectio moralis maior, quae vero minor dicenda sit. (§. 6. 13.)

§. XV.

Magis bonum est, quo posito ponitur maior perfectio, (§. 14. 12.) Hinc bonum opus eo maius est, quo maior est actio, et quo maior in ea ponitur perfectio moralis, (§. 14. 7.) i. e. quo plura et maiora in eodem, quo cum pluribus et maioribus legibus, moralibus, quo magis consentiunt. (§. 12. 6.)

§. XVI.

Posita itaque generali ratione dimetriendi varios bonorum operum gradus, (§. 15.) nunc per partes eundo, speciales huius cognitionis vias adibimus, vbi primum occurrit ipsa eorum perfectio, quatenus ex legibus, quibus cum conueniunt, cognosci potest. Rom. II. 18. Leges vero naturales vel ita comparatae sunt, ut ad obseruantiam illarum alter nos cogere possit; vel minus: priores dicuntur *leges externae*, (strictè dictæ, cogentes,) posteriores, *leges internæ*.

§. XVII.

Complexus legum naturalium exteriarum in statu naturali obseruandarum constituit *ius naturae cogens*: in statu sociali, *ius sociale*,

sociate, internarum vero in statu naturali obseruandarum, Ethicam philosophicam. Iuris naturae leges unicum hoc morium cum ailio-
nibus connectunt, quod alter nos ad obseruantiam earum cogere possit, (§ 16.) ius sociale qua tale idem, dum omnia eius le-
gum basis est lex illa stricta: *paetia sunt seruanda.* Ergo ius natu-
rae, et ius sociale prae reliquis legibus dant minimam obligationem.
(§. 13.) Leges itaque iuris naturae, et iuris socialis qua talis sunt
minimae respectu reliquarum. Hinc bonum opus iuri naturae aut
sociali tantum conforme, respectu reliquorum est minimum.
(§. 15.)

Sempre tamen, tam hic, quam in sequentibus, subintelligenda est
caute: si caetera in eodem sint paria.

§. XVIII.

Datur tamen et in his ante indicatis iuribus differentia.
Quamquam enim utrumque ex legibus externis confer; ius tamen
sociale prae naturali maiorem secum fert obligationem. Ad quam-
cunque enim in eo stabilitam actionem, iam antea obligati sumus,
vel externe; vel interne. (§. 16.) Huic obligationi noue accedit,
ex pacto concipienda. Maiores itaque sunt leges iuris socialis, quam
naturae, hinc bonus operibus iuri sociali conformibus maior omni-
no tributur perfectionis gradus, quam iuri naturae tantum con-
formibus. (§. 15. 13.)

Si vero dantur actiones per paetum stabilitas, quae vero legibus ex-
ternis et internis contrariae sunt, eae si peraguntur sunt quidem se-
cundum paeta, sed non secundum ius sociale et pacitum, quippe
super re illicita omne paetum prohibens. Hinc de eis demonstrata
intelligi minime queunt, sunt enim peccata non bona opera.

§. XIX.

Ethicam philosophicam si considerarimus, leges eiusdem
motiu defumunt ex perfectione nostrum et aliorum, tam inter-
na quam externa, non conseruanda solum sed etiam augen-
da. Hinc sunt maiores legibus externis. (§. 17. 13.) Bona
opera

opera itaque ethicae philosophicae conformia maiora sunt illis, quae legibus externis tantum conformia sunt. (§. 15.) In illis tamen iterum maiora sunt, quae per parta nouum motuum acquirent. (§. 18.)

§. XX.

Leges arbitriae aut praescipiunt actiones per naturales iam praeceptas, sicut illis conuenientes, si nondum explicitae praeceptae sint; aut legibus naturalibus contrarias. Posteriores non sunt huius loci, quia illicita praescipiunt. Si vero prius, maiores sunt legibus naturalibus, accedit enim ad motu cum actione iam connexa, ut nouum motuum, voluntas imperant. (§. 4. 13.) Et quo maior est imperans, hoc maius erit motuum ex voluntate eius desumtum, hoc maior itaque erit lex. Ergo leges diuinæ reuelatae maiores sunt ciuilibus. (§. 4.)

§. XXI.

Bona opera ciuiliter talia maiora sunt philosophice talibus. (§. 15. 17-20.) Inter haec tamen iterum qua gradus differunt, ea quae legibus externis tantum conformia sunt, ab eis quae legibus internis conformantur, ita ut posteriora maiora sint prioribus. (§. 19.)

Intelliguntur tamen ea tantum opera, quae non ob solam coactio-nem imperantis patruntur, sed simul ob intrinsecam actionem cum legibus naturalibus conuenientiam, quod infra clarius patet, quando de gradibus bonorum operum ratione cauſae efficientis agemus, hoc loco enim scopus est indicare gradus genericos.

§. XXII.

Leges diuinæ reuelatae maiores sunt ciuilibus. (§. 20.) Hinc bona opera theologicæ talia maiora sunt ciuiliter talibus, (§. 15.) ergo et philosophice talibus. (§. 21.) Admittunt tamen iterum varios, pro diuersitate legum, gradus. Leges enim vel conueniunt cum legibus naturalibus, tam externis quam internis; vel cum ciuilibus; vel cum quibusdam simul. Posteriores maiorem

dang

ET VIRTUTIS.

dant obligationem, et maiores sunt. (§. 13.) Ergo iisdem conformia maiora sunt reliquis. (§. 15.)

§. XXIII.

Leges diuinae naturalibus internis conuenientes, maiores sunt, naturalibus externis conuenientibus. Internae enim maiores sunt externis. (§. 19.) Hinc, si vtrinque accedit aequale motuum, ex perfectionibus diuinis desumuntur, priores manent maiores posterioribus. Ergo et bona opera prioribus conformia, sunt maiora posterioribus. (§. 15.) Pater hoc etiam ex asserto Christi, qui Matth. XXXII. 37. Marc. XII. 30. et Luc. X. 27. eam legem maximam esse, inrer leges diuinas, pronunciat, quae amorem erga Deum, semet ipsum, et proximum praecepit; et principium constituit omnium reliquarum legum internarum.

§. XXIV.

Leges diuinae revelatae, cum ciuilibus coincidentes, maiores sunt, conuenientibus tantum cum naturalibus. Leges enim ciuiles sunt arbitrariae, (§. 4.) hinc maiores naturalibus. (§. 10.) Si itaque ex vtrisque sunt revelatae, vtrinque ut motuum accedit voluntas diuina. Manent ergo priores maiores posterioribus. Ergo et bona opera, secundum priores patrata, maiora sunt, illis, quae posterioribus conformantur. (§. 15.)

§. XXV.

Haec haec tamen de magnitudine legum, quatenus motiva ex principiis cognoscendi leges desumuntur. Altera iam restat ratio, qua leges differunt, scilicet quatenus motiva desumuntur ex obiectione, circa quae versatur leges, aliquid aut praescriptendo, aut prohibendo. Quae, cum tria potissimum sint, alii homines, nos ipsi, et Deus: (§. 9.) triplex denuo inde oritur ratio, dimidiandi quantitatem honorum operum, quam nunc indicabimus.

§. XXVI.

Quod ad leges attinet, quae officia erga alios praescribunt, eae sunt vel internae; vel externae. Quomodo haec inter se differant?

B

ranc

rant, supra iam indicatum est. (§. 17. 19.) Nunc probandum, leges, officia erga nos ipsos praecipientes; maiores esse illis, quae officia erga alios praescribunt. Quod exteris maiores sint, patet ex §. 19. quia leges officia erga nos determinantes sunt internae; quod vero internis maiores sint, inde patet, quia motiva (late) sunt representationes, quae rationem appetitionis seu auerstationis continent, et de aliorum statu et tanta representatione acquirere, quot et quantas de nostro possumus, impossibile est, inde enim sequitur, plura motiva adesse in officiis erga nos, quam in officiis erga alios. Ergo leges, officia erga nos praescribentes, maiores sunt, legibus, etiam internis, officiis ergo alios praescribentibus. (§. 13.) Ergo bona opera erga nos mire ipsos maiora sunt, bonis operibus erga alios. (§. 15.)

Patet hoc etiam ex favore necessitatis, vbi, ob officia erga semetipsum, licet excipere ab officiis erga alios, tam internis, quam exteriis.

§. XXVII.

Officia erga nos sunt vel erga animam; vel erga corpus; vel erga statum externum. Postremum ratio determinans, adeoque motivum est, perfectio relativa promouenda; priorum vero, perfectio accidentalis. Hinc postrema sunt minora prioribus. Leges itaque, officia erga statum nostrum externum praescribentes, ratione priorum sunt minimae. (§. 13.) Ergo bona opera erga statum externum, in bonis operibus erga nos, sunt minima. (§. 15.)

§. XXVIII.

Anima est pars hominis nobilior, perfectio itaque animae promouenda maius motivum est, quam perfectio corporis promovenda. Ergo leges officia erga animam praecipientes, maiores sunt illis, quae officia erga corpus determinant. (§. 13.) Hinc bona opera erga animam patrata maiora sunt, bonis operibus erga corpus peractis. (§. 15.) Et quo maiorem perfectionem animae profine habent, hoc iterum maiora sunt. (§. cit.)

§. XXIX.

§. XXXIX.

Leges officia erga Deum determinantes, ut motiva cum actionibus connectunt, infinitas plurimasque Dei perfectiones, et insignem felicitatem ex cultu eius oriundam, nec non innumera Dei beneficia. Hinc prae reliquis omnibus sunt maxime. (§. 13.) Bona opera itaque erga Deum, respectu reliquorum omnium sunt maxima. Pl. LXXXIV. n. sqq. (§. 15.) Complexus officiorum erga Deum dicitur cultus Dei, qui in internum et externum distinguitur, qui ex his maior sit, qui vero minor, infra apparebit.

§. XXX.

Ex haecenus dictis itaque apparet, sequentem posse concipi bonorum operum gradationem ascendentem. 1. Bona opera erga alios (§. 26.) vbi a. philosophice talia et quidem a. legibus externis conuenientia minima sunt. (§. 17.) quibus maiori b. legibus internis conuenientia. (§. 19.) et his b. ciuiliter talia c. cum legibus naturalibus externis coincidentia. b. cum legibus naturalibus internis coincidentia (§. 21.) c. theologicis talia a. cum legibus naturalibus externis b. cum internis coincidentia. (§. 23.) c. cum legibus ciuilibus conuenientia. (§. 24.) 2. Bona opera erga nos. (§. 26.) a. erga statum externum. (§. 23.) b. erga corpus. (§. 28.) c. erga animam. (§. 28.) 3. bona opera erga Deum. (§. 29.) Singula maiora, quarenuis sunt a. philosophice, b. ciuiliter vel deum c. theologicis talia. (§. §. cit.)

§. XXXI.

His de perfectione bonorum operum, quatenus ea ex legibus, quibus cum conueniunt, diiudicanda est, huc vsque positis, ad specialiora et magis determinata iam descendemus, vbi formale bonorum operum nouam dabit occasionem, diuersos concipiendi gradus. Ad ipsam itaque actionem, eiusque conformitatem cum lege paulisper attendendum erit.

§. XXXII.

Bona opera sunt actiones. (§. 7.) Cum vero omnis actio possit esse maior vel minor. erunt etiam aliquae actiones bonaes maiores, aliquae minores. Quo maior est actio, hoc maius est bonum opus. Plura enim tunc adiunt consentientia cum legibus moralibus. Ergo maior est perfectio moralis. (§. 14.) Ergo maius est bonum opus. (§. 15.)

§. XXXIII.

Bona opera sunt actiones legitimae. (§. 7.) Hinc legibus conformes. (§. 5.) Conformatas vero cum legibus in eo consistit, ut rationem existentiae eius, quod a lege praecipitur, contineant. Iam cum ratio sufficiens sit major insufficiente, remotior propiori, simpliciter talis secundum quid tali; major erit conformatas, adeoque consensus cum lege, si rationem sufficientem existentiae eius, quod a lege praecipitur, continent, quam si insufficientem, hinc maior perfectio moralis. (§. 14.) Ergo maius erit eiusmodi bonum opus, quam aliud. (§. 15.)

§. XXXIV.

Idem valet de bonis operibus, quae rationem sufficientem remotiorem existentiae eius, quod praeciputum est, continent. Quia enim eo ipso conformatas et consensus cum lege est maior, quam eorum, quae rationem propiorem continent: (§. 23.) maior adest perfectio moralis. (§. 14.) Hinc maiora sunt, rationem propriorem continentibus. (§. 15.) Similiter quoque se res habet cum eis, quae rationem simpliciter talem existentiae eius, quod praeciputum est a lege, continent, quippe quae ob eandem rationem maiora sunt, quam quae rationem secundum quid talem continent.

§. XXXV.

Quo magis legitima est actio, hoc maius est bonum opus. (§. 33.) Iam actio quoque sit magis legitima, quando plurius et maioribus legibus conformatis est, (§. 13.) et maxime legitima, quando omnibus legibus conformatis est. Ergo bonum opus pluribus

bis legibus naturalibus conforme maius est, quam quod paucioribus; pluribus legibus ciuitibus conforme maius, quam paucioribus; pluribus legibus revelatis conforme maius, quam quod paucioribus; et maximum erit, si omnibus legibus, tam naturalibus, quam ciuitibus, et revelatis diuinis conforme est.

§. XXXVI.

Bona opera sunt entia singulare, (§. 7.) hinc omnimode determinata, ergo etiam determinata qua causam efficientem. Iam cum causa efficientis ipsorum sit homo liber: eius consideratio non nihil conferat, ad aliqua bona opera, qua gradus, a se invicem distinguenda. Videamus igitur quomodo bona opera differant 1) ratione status interni cause efficientis, 2) ratione status externi.

§. XXXVII.

Status interius est vel animae, vel corporis. Quod ad animam attinet, ibi potissimum facultas cognoscientia consideranda erit, sicut enim illa comparata est, ita et erit comparata facultas appetitiva, quippe quae priorem semper sequitur, et quidem proportionate. Quo maior est cognitione de lege, hoc maiora erunt concurrentia ad actionem, hinc consentientia cum lege, ergo maior consensus et maior perfectio moralis. (§. 14.) Ergo bonum opus ex maiori cognitione orundum maius est, quam aliud, quod ex minori cognitione oritur. (§. 15.)

§. XXXVIII.

Quo maior est cognitione, hoc maius est bonum opus (§. 37.) Iam cognitione clara maior est, quam obscura, et quo clarior, hinc et quo viuitor, hoc iterum maior, hinc cognitione distincta maior confusa, adaequata maior inadaequata etc. Ergo bonum opus, ex cognitione legis clara resultans, maius est, quam quod ex obscura oritur; ex distincta cognitione orundum maius est, quam quod ex confusa oritur; ex adaequata cognitione proficiens maius est, quam quod ex inadaequata legis cognitione oritur, etc.

Hoc etiam inde pateret, quia quo clarior, quo distinctior, quo adaequator certus est cognitio, hoc maiora sunt motiva, hoc maior est obligatio, (§. 13.) hinc eo maior agenti erit lex. Ergo et maius bonum opus. (§. 15.)

§. XXXIX.

Cognitio certa maior est, quam incerta, nam ratio sufficiens maior est insufficiente, (§. 33.) et prior oritur ex ratione sufficiente veritatis eius quod cognoscitur, posterior tantum ex ratione insufficiente. Hinc prior maior est. Ergo bonum opus ex certa cognitione legis, eiusque sensus, oriundum maius est, quam quod ex incerta cognitione oritur. (§. 37.)

Quo certior est cognitio legis, hoc certiora, hinc maiora sunt motiva, hinc eo maior respectu agentis est lex. (§. 13.) Ergo denudat ciusmodi bonum opus maius esse, quam quod oritur ex incerta cognitione. (§. 15.)

§. XL.

Cognitio incerta est vel improbabilis, vbi pauciores rationes cognoscuntur pro veritate aliquid rei, quam pro contrario; vel dubia, vbi utrinque rationes pares sunt; vel probabilis, vbi plures rationes pro veritate, quam contra eandem adiungunt. Dubia itaque cognitio (dummodo vera sit) maior est, quam improbabilis, et probabilis maior, quam dubia. Ergo bonum opus ex cognitione legis dubia profectum, maius est, quam quod ex cognitione improbabili proficitur; ex cognitione probabilis oriundum maius, quam quod ex cognitione dubia, hinc et quod ex cognitione improbabili proficitur. (§. 37.)

Quae §. 38-40. de cognitione annotata sunt, vel totaliter vel partim liter in cognitione occurunt, quod denudo occasionem dabit cognitantibus, alia bona opera ab aliis, qua quantitatem, discernendi.

§. XLI.

Quo saepius lex promulgatur, hoc clarior eius sit cognitio, hinc maior. (§. 38.) Hinc lex respectu illius subiecti maiorem dat obligationem. (§. 38. Schol.) Ergo respectu illius subiecti

fig

fit major. (§. 13.) Ergo quo saepius lex promulgatur, hoc maius fit bonum opus eidem conforme, respectu illius subiecti, cui promulgatur. (§. 15.)

S. XLII.

Quo magis quis cognitionem suam veram de lege sequitur, hoc maius erit ipsius bonum opus, plura enim tunc consentient ad id effectui dandum, quod a lege praecepsrum est, hinc maior erit consensus, et perfidio moralis. (§. 14.) Ergo maius erit bonum opus. Et si ex toto cognitionem suam sequitur, bonum opus erit aequaliter magnum ac cognitio. Ergo si cognitio maior, erit iterum maius. (§. 37.) Parte hinc, quod homines, minorem cognitionem habentes, relative maius bonum opus possint patrare, alii, qui maiores habent, scilicet si priores ex toto sequantur cognitionem, posteriores tantum ex parte. (§. 12.)

Sui conscientia est, qui se et alia obiecta a se invenient distinguit, pertinet itaque conscientia sui ad cognitionem claram, (§ 38) quae maior est quam obscura, et quo clarior est tam extensio quam intensio, hoc iterum maior est. Qui ergo in peragendo facto legi conformi sui conscientia est, minus bonum opus praefat, quam qui sui non est conscientia. (§ 37.) Et quo magis sui conscientia est, hoc maius est iterum bonum opus ipsius. (§ 38.) Cum vero habitus se determinandi ex cognitione olim acquisita sine conscientia sui sic confutudo: patet, eum, qui ex mera consuetudine actionem legi tam conformem praefat, minus bonum opus peragere, quam qui cum iterata cognitione sui agit, nec non quo minus in aliqua actione ex consuetudine deriuatur, hoc maius esse bonum opus.

Fere similiter se res habet cum conscientia (moralis) quae est 1) facultas subsumendi facia propria sub lege 2) ipsa subsumptio. Est enim facultas ratiocinandi, aut ratiocinatum, hinc ad facultatem

cognac

cognoscituum pertinet, et sub se continet cognitionem legis et facti, virtusque nexus et relationis erga se invicem. Quicquid itaque valet de cognitione, valet etiam de conscientia. Quicunque itaque agit secundum conscientiam dubiam (saltem rectam) maius bonum opus praefat, quam qui agit secundum improbabilem, (rectam.) Qui agit secundum conscientiam probabilem, maius bonum opus praefat, quam qui secundum dubiam agit, et tandem qui secundum conscientiam certam agit, maius praefat, quam qui secundum priorum aliquam se determinat. (§. 39. 40.)

§. XLV.

Stimuli sunt repraesentationes confusae, rationem appetendi auersandique in se continent; motiva vero (strictè sic dicta) sunt repraesentationes distinctae, rationes volendi nolendique. Posteriora itaque sunt maiora prioribus. (§. 38.) Qui itaque meritis stimulis agitatus, actionem bonam committit, minus bonum opus praefat, quam qui simul ex moriis strictè dictis se determinat, et quo plura motus habet, hoc maius erit. (§. 37.) Cum vero sine ullis stimulis aliquid agere homini sit impossibile: semper in actionibus aderunt stimuli. Quo pauciores tamen erunt, respectu mortuorum strictè dictorum, hoc maius erit bonum opus. (§. 37.)

§. XLVI.

Vnica quidem tantum est vis animae, plerumque tamen vel plures concipiuntur, quia tota non semper adhibetur, quod rursum de partibus adhibitis intelligendum est; vel facultates animae singulae nomine virium veniunt. Quanquam denominatio facultatum ut virium aliquid secum ferat incommodi; res ipsa tamen occasionem dabit, alia bona opera ab aliis qua quantitatem distinguendi. Quo plures vires enim animae adhibentur, ad se determinandum, ut actio legitima peragatur, hoc maius est inde ortum bonum opus.

Nam

